



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

### **Luxemburgi, MDCCXLI.**

9. Nuper ad supplicationem &c. Confirmatio Decreti Sacrorum Rituum  
Congregationis, quo Officium cum Missa de Beato Augustino Dalmata pro  
Civitatibus Lucerina Zagabriensi, & Traguriensi, necnon earum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



## C O N G E S S I O

Plurium Indulgentiarum perpetuarum pro Congregatione Missionis.

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**P**ias personarum Ecclesiasticarum Congregationes in Militanti Ecclesia ad Dei laudem, & gloriam, spiritualemque Christifidelium aedificationem providè institutas, ut ad pia, & salutaria, quæ exercent, opera promptiores, alacrioresque reddantur; Indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, & confovemus, prout ad earum devotionem, animarumque salutem augendam conspicimus in Domino expedire.

**S. 1.** Hinc est quod nos Congregationem Missionis in vinea Domini ad animarum salutem strenuè laborantem spiritualibus Indulgentiarum muneribus cumulare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac **BB.** Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, præter, & ultra omnes, & quascumque alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, & poenitentiarum relaxationes eidem Congregationi hæcenus quomodolibet, & ex quavis causâ, Apostolicâ auctoritate concessas, omnibus, & singulis Presbyteris, Clericis, & Laicis, qui dictam Congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè poenitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit, *plenariam*: Illis quoque, qui Congregationem hujusmodi ingressi, & in ea viventibus quatuor vota simplicia, nempe Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore salutis pauperum ruficanorum applicandi, post biennium probationis juxta Constitutiones prædictæ Congregationis auctoritate Apostolicâ confirmatas emisserint, & verè similiter poenitentes, & confessi, eo die sacra Communione refecti fuerint, *idem plenariam*: Ac præfatis Presbyteris, Clericis, & Laicis nunc, & pro tempore existentibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pariter poenitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen **JESU** ore, si potuerint, sin minus corde, devotè invocaverint, etiam *plenariam*: Præterea eisdem præsentibus, & futuris Presbyteris, Clericis, & Laicis verè similiter poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam dictæ Congregationis Ecclesiam, vel Oratorium, vel Parochialem Ecclesiam Loci, ubi pro tempore commorabuntur, die festo Conversionis Sancti Pauli à primis vespertis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro felici Congregationis præfate progressu, & propagatione, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam*: Insuper eisdem Presbyteris, Clericis, & Laicis, qui spiritualia exercitia per octiduum continuum in aliqua ejusdem Congregationis domo peregerint, & interea verè quoque poenitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac ut præfertur, oraverint, similiter *plenariam* semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

**S. 2.** Ac demum eisdem Presbyteris, Clericis, & Laicis præsentibus, & futuris in memoria Congregatione viventibus, qui singulis diebus conscientiam suam diligenter examinaverint, cum

proposito à peccatis abstinendi, & se corrigendi, ac Litanias Beatæ Mariæ Virginis devotè recitaverint, & ut supra expressum est, oraverint, *centum dies* pro unoquoque die, quo id egerint, de junctis eis, seu aliâ quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valluris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Superioris Generalis Congregationis prædictæ munitis eadem profus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Novembris MDCCI, Pontificatus Nostri anno primo.

F. Oliverius.

## C O N F I R M A T I O

IX.

Decreti Sacrorum Rituum Congregationis, quo Officium cum Missa de Beato Augustino Dalmata pro Civitatibus Lucerna, Zagabriensis, & Traguriensis, necnon earum Diocesisbus, & pro Ordine Prædicatorum de communi tamen Confessorum Pontificum indulgetur.

## C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

**N**uper ad supplicationem Dilecti Filii Antonii Cloche Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Lucerna Canonizationis Beati Augustini Dalmatæ Ordinis Prædicatorum Episcopi Zagabriensis, & demum Lucerni. Cum Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Petrucci sub die XIX. Junii MDCC. cum subsecuta approbatione Sanctissimi censuerit constare de Cultu immemorabili B. Augustino prædicto præstito; Pater Antoninus Cloche Ordinis Prædicatorum Magister Generalis humiliter Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit, quatenus concedere dignaretur, ut in Civitate Lucerna continuari possit in celebratione festi dicti Beati Augustini cum Officio, & Missa propriis ejusdem Beati, prout asserbatur fuisse hæcenus recitatum, necnon ut idem Indultum ad totum Ordinem Prædicatorum, ad Provinciam Beneventanam, in qua sita est Civitas Lucerna, ad Civitatem, & Diocesium Traguriensem, Patriam ejusdem Beati; Necnon ad Civitatem, & Diocesium Spalatinam benignè extendere dignaretur: Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Gabrielli, tam in voce, quam in scriptis Reverendissimo Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore audito, accedentibus piis supplicationibus Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Ursini Archiepiscopi Beneventani, Archiepiscopi Spalatrini, Episcopi Lucerni, ac aliorum Episcoporum totius Provincie Beneventanæ, & Episcopi Traguriensis, Sanctissimo Domino Nostro porrectis, & ad eandem Sacrorum Rituum Congregationem remissis, Officium cum Missa de Beato Augustino prædicto pro Civitatibus Lucerna, Zagabriensis, &

Tragu-



Tragurienti, necnon earumdem Diœcesibus, & pro Ordine Prædicatorum, de communi tamen Confessorum Pontificum, posse concedi censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit, die prima Octobris MDCCII. Et factâ deinde de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die xix. ejusdem mensis Octobris, & anni MDCCII. G. Cardinalis Carpineus. Loco † sigilli.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Antonius Magister Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocínio communitri summopere desideret; Nos ipsum Antonium Magistrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes; & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequen., harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transcriptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur; quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xv. Aprilis MDCCII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

F. Oliverius.

X.

DECLARATIO

Ut quotiescumque Festum S. Francisci Xaverii incidit in primam Dominicam Adventus, illud in feriam secundam immediatè sequentem cum Indulgentiâ transferatur.

BEATISSIME PATER.

Cum sa. me. Gregorius XV. in literis in forma Brevis die 8. Junii 1622. omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis, verè penitentibus, confessis, & Sacra Communione refectis, qui Ecclesias Societatis Jesu, vel earum aliquam in Festo S. Francisci Xaverii, tunc die secunda Decembris celebrari solito, à primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei, devotè visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Ma-

tris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino, & in perpetuum concesserit; & san. me. Urbanus VIII. in suis pariter literis 22. Decembris 1638. præfatum Festum quodcumque in Dominicam primam Adventus incidit, in unum ex diebus infra octavam dicti Festi cum eadem Indulgentia transfulerit; Deinde san. me. Innocentius X. in suis item literis 27. Octobris 1651. in dicto casu incidentiæ Festi in Dominicam primam Adventus, celebrationem ejusdem Festi in feriam secundam immediatè sequentem, cum Indulgentia, futuris etiam perpetuis temporibus transferri mandaverit; Cumque demum sa. me. Alexander VII. in suis pariter literis 18. Julii 1662. Festum prædictum S. Francisci Xaverii die secunda Decembris tunc, ut supra, celebrari consuevit, in diem tertiam ejusdem mensis, etiam cum Indulgentiâ, perpetuè celebrandum transfulerit, nullâ mentione factâ casus incidentiæ superius enunciatæ; excitatum fuit dubium, an adhuc vigeat pro dicta Indulgentia sanctio Innocentii X., vel standum sit postremo Decreto Alexandri VII. ex quo dubio, cum aliqua ritus difformitas oriri possit, Procurator Generalis ejusdem Societatis, ad ritus uniformitatem in Societate universâ servandam, ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, supplex orat; ut tam anno currenti 1702., quàm futuris quodque temporibus in perpetuum declarare, & decernere, dignetur, servandum esse Breve san. me. Innocentii X., non obstante Brevis sa. me. Alexandri VII. ita ut quodcumque Festum S. Francisci Xaverii, quod hodie tertia Decembris celebratur, in Dominicam primam Adventus incidit, in feriam secundam immediatè sequentem, & sic in diem quartam cum Indulgentiâ plenaria transferatur. Quam Deus &c.

Sanctissimo D. N. D. CLEMENTI Papæ XI.

Pro

Procuratore Generali Societatis Jesu.

Die xxiv. Novembris 1702.

Sanctissimus declaravit Servandum esse Breve same. Innocentii X., non obstante Brevis sa. me. Alexandri VII.

F. Oliverius.

CONFIRMATIO

XI.

Decreti D. Card. Protectoris Ordinis Carmelitarum, auctoritate Sacr. Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ facti, quo declaratur facultatem erigendi Confraternitates S. Mariæ Montis Carmeli competere duntaxat Superioribus Generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum, quàm Excalceatorum, & ab alijs erectas non esse legitimas; & plura alia statuuntur quoad modum recipiendi habitum, seu Scapulare pro acquisitione sacrarum Indulgentiarum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam

Alis pro parte Dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis

Beate